

I N D E X
LECTI O N U M

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

PER SEMESTRE AESTIVUM

A DIE XXX. M. APRILIS AN. MDCCCXXII.

INSTITUENDARUM.

PRAEMISSA EST

ORATIO D. X. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXI.

IN AUDITORIO ACADEMIAE MAXIMO

HABITA.

L I T E R I S A D L E R I A N I S.

**Rector Academiae Magnifice,
Curator Perillustis et Generosissime,
Decani maxime Spectabiles, Seniores Gravissimi,
Viri Summe Venerabiles, Jurium Consultissimi, Experien-
tissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Clarissimi,
Doctissimi,
Commilitones Humanissimi,
Auditores Omnium Ordinum Aestumatissimi,**

Si unquam dies natalis FRIEDERICI FRANCISCI, Optimi Principis, qui tot jam annos regnavit, bonis civibus laetitia fuit, is hoc certe tempore, Auditores, omnibus nobis atque adeo toti patriae merito asferet maximam. Quid enim majus hoc, hoc inquam tempore, tam difficili tamque periculoso commemorare possumus FRIEDERICO FRANCISCO, quem divinitus nobis datum esse vere mihi videor gloriari. Morbi pestiferi vim prope jam ingruentem horrebamus: Ipse (quocunque Eum nomine appellari verum est) tanto malo prospexit, nobis consuluit: perexiguam in medicorum arte spem salutis collocari posse nunciabatur: Ipse animos abjectos recreavit, quid fieri placeret, edocuit: necem indignam homine atque omnibus tormentis pejorem oculis cernere videbamur: Ipse post noctem tenebrosam certissima nobis lux affulsit. Qui quum sciret, pestem miserorum hominum contagione longe lateque dissipari, fines suos ab ista teterrima bellua egregie defendit, nec videri voluit multum agere nihil agendo, sed nihil praetermisit omnia agendo, neque sententiam Ejus cura, curam dubitatio, dubitationem poenitentia (ut fit) cito sequuta est, sed Ille in consilio semel inito constanter perseveravit, denique effecit (audite, quaeso, et quae dicam, mentibus vestris penitus mandate) effecit Ille, ut morbus, si quis alius, minax ac portentosus aut jam depulsus ab Megapolitanis esse videatur, aut si languidus jam multorumque millium caede paene satius maxime huc advenerit, non sit nobis per hiemem in majore coeli salubritate magnopere pertimescendus. Quamobrem sive caeli spiritum, quem ducimus, atque hujus communis usuram lucis, qua lubenter fruimur, quaque nihil homini potest esse dulcius, retinere cupimus, vitam nobis reddidit Princeps: sive solum, in quo nati susceptique sumus, omnes delectat, tantaque ejus caritas est, ut ne vitam quidem pro ejus incolumitate profundere dubitemus, quod mors patriae consecrata immortalitatem parit, patriae restituit nos et servavit Princeps: sive optamus, ut, quoniam tamen naturae omnia dissolventi vita reddenda est, obdormiscere quodammodo nobis liceat et quasi aliquo placido somno, sic morte consopiri, turpissimi interitus terrores sustulit Princeps: sive is est etiam in morte sensus, ut a suis quisque lumina condi velit, atque a necessariis et amicis funus sibi honestum fieri humarique corpus gleba sepulchro injecta, exsequiarum justa ultimo die nostro providit Princeps. Omitto innumerabiles mali istius, ubi in hanc terram (si forte) penetrarit, coercendi, ne perdomandi dicam rationes: quae tanto quum animo, tum etiam consilio

inventae sunt, ut et nobis expectatione suspensis multum solatii praebeant, et aliis hinc traditae, non ab iis huc allatae, et omnibus, quorum interest, tanquam exemplar ad imitandum propositae esse videantur. Nos vero, quoniam quidem nihil quidquam neglectum est, quantum in humana sapientia fuit, quin contra provisa praemeditataque omnia, si quid tamen repentini mali nobis impendeat, id modice feramus, atque earum rerum curam, quae certe in nostra manu sitae non sunt, Dei O. M. non solum potestati, verum etiam benignitati relinquamus. Multa vidi, multa audiui, multa etiam scripta legi, quae nobis literae prodiderunt: sed maiore nihil gravitate susceptum, animo gestum, prudentia gubernatum, moderatione temperatum, constantia perlatum recordari possum: nihil fortius nostris illis edictis, mihi credite, nihil praeclarius. Quo magis speramus, eum Principem, qui summo suorum civium tempore, alienissimo Ipsius nobis adfuerit, nos protexerit, pro nobis laborarit, vicissim ad suum diem, a quo vix etiam uno lustro abest, diu exoptatum illum, ac vere suum perventurum esse, quo L annorum regnum, tum maxime expletum, secum recolet. Tunc autem FRIEDERICI FRANCISCI laudes saeculari quodam carmine condemus, quod etsi propter ingenii mei mediocritatem verborum luminibus admodum nullis commendabitur, tamen vel quod rerum splendore excellet, vel quod sine ulla adulationis suspitione veri amoris signa exprimet, vel quia huius temporis memoriam refricabit, quo tot millibus hominum colla praebere coactis misere pereundum fuit, nostra salus eximie custodita est, omnibus probatum iri confido. Fit enim interdum nescio quo pacto, ut quo maiore Illum amore complectimur, et quo vehementius per diu Eum salvum cupimus, eo gravius de Ejus incolumitate angamur: et jam magis magisque diffidere felicitati nostrae incipimus, nempe, quod plus naturae ordini, quam stabilitati fortunae credimus, et illud nimium saepe cogitamus, communem mortalium necessitatem ne nostrum quidem Principem illum, carum omnibus, nulli molestum, effugere posse. Verum enimvero vivet per omnem temporum diuturnitatem, memoria rerum a se gestarum: vivet in animis Megapolitanorum grata recordatione beneficiorum ab liberalissimo Principe acceptorum: vivet denique etiam posthac inter nos atque hunc diem suum videbit, si quid fausta omnia valent, ac potius, si bona bonorum vota multum efficere possunt: quandoquidem mihi imperare nequeo, quin sic existimem, sic prae me feram, FRIEDERICO FRANCISCO, hoc est ei Principi, qui modo incredibili quodam animi robore pro vita ac salute omnium nostrum propugnaverit, ei justum recte factorum praemium, vitam longiorem, et hoc tam funesto anno felicior, et magis fortunatam omni ante acta aetate a Deo propositam esse.

Invitus ab hac parte orationis discedo, Auditores, ita ubere et materiae facilis, ut commoda verba cuivis etiam superesse debeant, deesse quidem nullo modo possint, atque ad eum locum accedo, quo me officium vocat, literasque antiquas non fortassis ea, qua soleo, alacritate retractare cogito, quae tamen ne in tantis quidem temporum miseriis de manibus nostris

excussae conticuerunt. De recto linguae Romanae usu ad vos dicere mihi in animo est, si prius, quid sit latine loqui, ut sciatur, de qua re acturus sim, paucis exposuero. Neque enim jam istam volo orationem latinam, qua bajulus atque adeo infimus quisque olim usus est, neeam quidem, quae si in aliis morem Romanum sequuta fuerit, eo contenta in aliis negligat eundem, apparitoris alicujus credo, vel etiam vicomagistri, sed eam potius, quae multo longius progredi ausa ad optimos populi Romani scriptores quam potest proxime accedat. At enim de hoc genere nec quomodo loqui debeam, invenio, nec quomodo tacere: non quo frigus ullum animorum etiam, non modo corporum, suspicer (novi enim ardorem Vestrum), sed quia hoc tempus modum statuere cogit, res vero illa tam gravis est ac tam late patet, ut expectationi Vestrae satisfacere magis meum arbitrer, quam occurrere satietati. Quapropter quum is locus ex multis constet partibus, poetarum artem, quae ipsa sane varia est, ab hoc sermone nostro omnem exclusimus, lubenterque in pedestri oratione nunc sola acquiescimus. Etenim ut omnia ad unum linguae cujuspian genera complecti nemodum unus potuit, ne ipse quidem Cicero, summus orator, egregius rhetor, facetissimus scriptor, epistolarum locupletissimus auctor, philosophus etiam haud contemnendus, at malus poeta: ita poësi demta caeteras omnes rationes, qui valebunt ingenio, conjungere scient: etsi multum interest inter Prorsam et Postvortam, atque magni refert, utrum scribas latine, an loquare, utrum orationem accurate diligenterque meditare, an omni cura vacuus quotidianam consuetudinem imitari velis. Habebit autem argumentum, in quo versamur, fortasse nonnihil voluptatis, certe (id enim magnopere spero) utilitatis aliquantum. Olim nemo, qui se doctum virum haberi vellet, non luculenter sciebat latine, quum et summa esset cognoscendi difficultas, raris etiam tum librorum indicibus, scriptoribus autem non saepe explicatis, nimium saepe corruptis; quin etiam multi tum, ii, qui *Ciceroniani* vocabantur, per omnem fere vitam id studebant unum, id agebant, id exoptabant, ut ab auctoris sui elegantia quam minimo abessent intervallo: nostra aetate aliis omnibus rebus pulchre ornata, doctrinae vero et artium facile amantissima hujus facultatis tanta praestantia, in summa perficiendi copia et quasi commoditate, nescio quo modo (fatendum est enim) jacet contemta. Ubinam illa admirabilis doctrina, annis multis, non horae momento perfecta, quae explicare poterat, quidquid invenisset, idque in conspectu omnium exponere? Tota interiit. Ubi illa antiqua eloquentia, quae non modo ad summorum virorum exempla se componebat, sed ipsa etiam in exemplis habebatur, quae non breve nescio quod tempus spectabat, ut scriptori vivo videntique funus duceretur, sed, quum post mortem quoque superstes esset, ingenii gloriam aevo relinquebat sempiterno? Jam dudum obmutuit. Ac ne dubitetis, ita me favere priscis illis nominibus, ut tamen de nostri temporis laude nihil deminutum velim, commemorabo jam, quae una omnium veteris officii morem adhuc retinuit, studiorum antiquitatis commune quoddam

deversorium, nostrarum literarum officinam, magistram denique omnis humanitatis, Lipsiam. Vere medius fidius hoc dicam, Auditores, quod pro rei dignitate ne praedicari quidem satis potest: nemo est Lipsiae, quin linguam latinam et artis praeceptis institutisque plane perceperit, et vero etiam usu atque crebra exercitatione renovare soleat, nec solum eorum, quorum hoc munus est, in vetere memoria habitare, excellentissimorum virorum, sed etiam cacterorum, quotquot in ulla diversissimarum literarum parte maxima cum laude versantur, postremo omnium, qui de ulla disciplina aliquid paullo doctius judicare volunt: nemo est eorum, quin ore latino id quod sentiat, quum expedite proferre queat, tum pereleganter ostendere: illi cuncti multum profecerunt scribendo, orando, disputando: monstri atque portenti simile putatur, si quis aliquando doctum se professus in publicis disputationibus, quibus nihil fieri splendidius potest, non hoc dico, barbare loquatur, aut latine nesciat, verum si haereat modo, si exitum non inveniat, si non fluat oratio. Quamobrem, quod eximiae cujusdam laudis est, posse lectissimis verbis res optimas declarare, id Lipsienses jam palam sibi vindicant, id suum esse recte confirmant. Sed priusquam de optima hujus facultatis acquirendae ratione disseram, necessarium est, ut de summa ejus utilitate breviter admoneam. Credo enim inveniri hodie bonos illos quidem viros, sed haud satis eruditos, qui suam inscitiam ita consolentur, ut in hac tanta nostrae aetatis luce latine aut scribendum esse cuiquam, aut loquendum pernegare soleant. Et aliorum quidem tam iniqua crimina audias et reprehensiones tam inanes, ut paene inter se certare non modo conviciis, sed etiam ineptiis isti videantur: quo in genere, quid mihi aliquando acciderit, non dissimulabo. Incidit in me Latii quidam mirificus detrectator, meque impellens et latus fodicans: Heus tu, inquit, paucis te volo: scriptores latini mentem fortassis alere possunt, iidem vero neque animum oblectabunt, neque pectus commovebunt. Cui ego: Nunquamne igitur heroibus illis vel arrisisti jocantibus, vel dolentibus illacrymasti? At ille vere omnino simpliciterque: *sudavi*, inquit. Alii paullo sane prudentius (neque enim multo sapientius) mirantur, peregrinum induci sermonem, quum recte uti liceat domestico, inque eo ita stomachantur, ut hanc nonnullorum vanitatem ferri diutius non posse dictitent. Postremo ratiocinantur etiam, tela naturae in nos conjiciunt, ad necessitatem, non ad voluptatem unice referri jubent linguam Romanorum: callere eam doctos homines dicunt omnes oportere, tum ut scriptores intelligant, tum ut libros latine compositos legant: illud sanciant, ne vox ulla, quae quidem latina sit, a quoquam mittatur. Quae conclusiuncula, perspicuum est, quantopere laboret. Primum quid tandem prodest vel summa facultas, nisi ea utare? aut num retineri ea omnino potest, nisi utare? quomodo convenit modum adhibere rei infinitae? Nunc tantum facultatem ipsam relinquunt, usum praecipuum tollunt, inique profecto atque inconstanter: mox, sat scio, eripient nobis etiam quod reliquerunt, linguam illam ex animis nostris totam extorquebunt, ad interpre-

tationes vernaculas, utcunque fallaces mancasque confugere ac nihil unos sapere nos cogent. Nunquamne isti audiverunt, nihil ad augendam linguae scientiam plus proficere subita dictione? an vero ne tantum quidem intelligunt, scriptionem e diligentissima veterum Romanorum explicatione depromendam esse eoque eadem, qua venerit, janua continuo reverti? Quid vero, si multi jam rustice se inferunt atque intrudunt, voluntarii literarum perfectiores, qui cornici oculum, ut ajunt, etiamne illi pergent nos laedere, tamenne in errore haud dubio persistent? Quod antea ne poterat quidem fieri, dum sermoni latino suus sibi honos constabat, id hodie jam prope pervagatum esse coepit: obscuri homines et vix etiam semidocti in tutela linguae vernaculae facilius latent absconditi: hi, quos videtis exsultare in numero eruditorum, quasi libidinem in virtutum choro, doctissimorum virorum thesauros exhauriunt, sapientissimi cujusque inventa compilant atque etiam idcirco singularem quandam laudem sibi adsumunt: locupletantur bibliothecae haud paucis stultitiae superbiaeque monumentis, vera doctrina imminuitur. Non est committendum, Auditores, non est, ut hoc tam odiosum genus in sacra nostra arbitrato suo irrumpat eaque impune conculcet: fustibus rursus expellendi sunt et leonina pelle detracta abigendi in campum sibi apertum, stuporis: satis multos illic invenient asellos, quibuscum contendant, in quos calces remittant, quos lascive proterant. Equidem minime infitior, linguam germanicam quum sua sponte esse nervosam quandam, copiosam, suavem, tum summis tot hominum ingeniis ita excultam et omni laude cumulatam, ut propemodum Graecorum praestantiam usu quoque ipso, non solum suapte natura consequuta esse videatur: in qua quidem quantum studii collocaverim, nunquam me poenitebit: etiam illud adjungo, fuisse olim, licet perpauco, qui insano veteris Latii amore capti linguam vernaculam lubenter dediscerent: quemadmodum ferunt aliquando Professorem nescio quem inter docendum repente unius inopia verbi obticuisse, in omnes se partes versasse, erubuisse, ac postremo fassum esse, deficere sese vocabulum quoddam: eum latine dici *militem*, graece *στρατιώτην*: quod nisi unus de auditoribus ei succurrisset, forsitan obliviosus magister *Soldatum* terminatione latina per omnem reliquam vitam frustra quaesivisset. Atque idem ego hoc pugno, hoc defendo, peregrinam linguam certe docto viro adsciscendam esse et suscipiendam, propterea quod patrio sermone, quo nimium adsuefacti sumus, mens nostra haud satis incitatur: ut ubi in sententiis vel notis vel exiguis cessetur, ad orationem diligenter expoliendam decurrere placeat; ubi res fere omnia occuparint, non sit nobis in verbis componendis magnopere desudandum; ubi utrumque genus pariter splendeat, nec quidquam in alterutram partem addi posse videatur, tum demum admiratio omnium summaque laus non consequi nequeat. At, dixerit quispiam, cur non graece potius loquimur? Quoniam, ut latina lingua plus mille annorum usu satis probata est, in qua multos jam incredibili quadam arte praeditos excelluisse videmus, sic graeca et flagrans stu-

dium requirit, et ut aetatem in hoc cursu consumseris, nihil amplius tamen assequeris, quam ut ab Attica Musa derelictus graeculi alicujus scholiastae jejunam loquacitatem quasi lacinia obtineas. Itaque paucos omnino, quo contenderent, ignaros ad hoc stadium aberrare memini, eum vero, qui fortasse unus ac praeter caeteros operae pretium facere poterat, *Hermannum* nunquam animadverti graecam orationem ingressum esse. *) Sed tamen etiamsi ego adhuc praepjudicata opinione ductus aliquid amoribus meis dedissem, neque omnia potius veritati, et nisi tot alia commoda, quae enumerare longum est, nobis ostenderentur, vel sic tamen, Auditores, haec facultas, quam saepe dico, retinenda esset, ut necessaria. Quis enim nescit, linguam Germanorum et Gallorum et Anglorum et reliquas fere suis quamque finibus circumscriptas esse: latinam jam diu nullis contentam terminis quaquaversus unam omnium latissime vagari, latinam toto prope terrarum orbe dispersam in remotissimos quosque locos, ubi modo aliquid de literis cognitum inauditumque esset, penetrasse? Ergo quum libri latine scripti in ultimis paene oris legantur, viroque erudito nihil ad gloriam amplificandam exoptatus veniat justa hujusce linguae scientia: tum ne tironi quidem veteris Latii studio aliud aut laudabilius est ad virtutis significationem, aut propter necessitatem ipsam praesentius. Nam satis constat, doctissima opera et ea plurima sermone latino confecta esse, quae ille quomodo tandem tractabit latinitatis imperitus ac rudis? quomodo autem iis animo aequo carebit? aut quomodo sine eis ingenium ita excolet, non ut eruditi hominis personam tueatur, sed tantummodo ut munus paullo lautius adipisci possit? Quae quum ita sint, latine scire doctissimi cujusque adeo proprium censetur, ut haec lingua eruditorum semper existimata sit, tam porro late patet, ut ad omnes disciplinas fructus quidam communis ex eo redundet, ita denique genere toto necessarium certumque est, ut hic usus jam sero vituperetur, neque nunc quidem abrogari ullo modo possit. Quanquam, Auditores, ex lucello omnia metiri, nobis videtur angusti cujusdam animi esse: hoc placeat vulgo literarum experti, qui ut ejusmodi artibus studeret cum periculo vel suo vel nostro, nunquam optavi: illud verae humanitatis est, vel nulla admodum utilitate alia oculis proposita, tamen exercitatione ipsa atque illo uberrimo jucunditatis fructu delectari. Quem igitur fugit, (ne scribentis voluptatem et oblectationem animi, quae summa est, commemorem) sed quem fugit, permultos inveniri non solum in beata Saxonia, sed etiam apud alias gentes, qui in latinis progressus habeant non poenitendos, neque hoc in gradu constituti eo magis tamen in scriptoribus ipsis legendis tempus soleant terere, quos partim etiam plane adspernantur, nostrum omnino valde dissimiles illos, atque tempore, loco, religione sacrorum, lege, instituto, omnibus denique maximis, minimis mediocribusque rebus longissime a nobis disjunctos. Hoc illud est, quod haud pauci Ciceronem

*) Nam quod *Schilleri* quoddam carmen graecis versibus, elegantissimis sane, reddidit, id quidem ad causam meam nihil attinet.

raro in manus sumunt, iidem recens scripta, latina praesertim re etiam, non tantum nomine, vix unquam deponunt, ea ad agnitionem animi pulcherrima esse ducunt, eis ita tenentur, ut ne satiari quidem legendo posse videantur. Dixi de utilitate sermonis latini, quae fuit altera pars hujus institutae quaestionis: restat, ut explicem, qua potissimum ratione doctrina, non jam disputo, quam necessaria, certe quidem per se admodum gloriosa percipi debeat. Nam credo ego Vos mirari solitos, quid fuisset, aut quamobrem hoc in multis saepenumero usu venisset, ut alii, qui hujus unius laudis appetentes omnes industriae suae nervos contendissent, non tamen mediocritatem satis cuiquam probarent, nec secundum quidem obtinerent locum: alii, qui nunquam vehementius laborassent, quemadmodum sibi dicendum putarent, si latinae palmam eloquentiae iudicio omnium caeteris praeripuisse viderentur. Et illi quidem infelices dicendi artifices hujusce assequendae laudis difficultates non fraude ulla, sed ex animi sui sententia, non sine magno tamen errore ita exaggerant atque amplificunt, ut his auctoribus Hesiodia illa virtutis arx, quamvis ardua, munita, adscensu duro ac prope inexpugnabili, tamen prae hac veteris eloquentiae arce ludus jocusque, atque etiam infra miseram aediculam, denique ne tugurium quidem censenda sit. Cum quibus ita dissentio, ut quum nullos literarum cultori labores recusandos esse putem, nedum leviores istos et pro eccellente rei magnitudine haud sane diutinos, tum illud inculcem, quod verissime dicam, alios multum temporis perdidisse, ut barbara verba et inquinata et lutulenta volvere possent, alios breviori spatio aureum orationis flumen fundere didicisse atque ita scribere, nihil ut fieri posset elegantius. Vellem omnino praecepta, quae necessaria esse intelligo, omittere liceret: si quidem usu rerum constante institui, quam varia quadam imbui doctrina, longe et melius est, et jucundius. Nunc si tamen Vobis, Commilitones, cura et spes nostra, aliquid tradidero et paucis, quid mihi videatur, ostendero, sic habeatis, non praecipuum auctorem, non vehementem magistrum leges vobis ad sequendum imponere, sed me unum de multis consilia nescio quam bona, animo quidem valde benevolo dare voluisse. Nam quum oratione animi notiones exprimantur, apparet, nisi qui recte sapiat et cujus mens rite exulta sit, latine loqui posse neminem. Veruntamen ne cum omnibus, qui recte sentiunt, boni illius copia ac facultas communicetur, excipio tum eos, qui verbo mire titubare solent nec cogitata bene eloqui vel perscribere sciunt, sive naturae vitio, sive depravatae consuetudinis, tum etiam, qui literas latinas aut leviter gustarunt, aut ne attigerunt quidem. Contemplamini nunc eos, qui unquam sermonis vere latini laudem habuerunt, non solum multos illos temporum priorum viros in suo genere principes, dum rei latinae studia, quae jam magis magisque languescunt, certatim vulgo commota egregie vigeant, sed etiam hos nostrae aetatis eloquentissimos homines: reperietis in communi artis praestantia magnam tamen inter ipsos dissimilitudinem. Pure et emendate loquutos plerosque invenio, quia, quum id memoriae vi

prope sola confici queat, plura aliquanto meminimus, quam obliviscimur: sed qui perfecta scriptura planeque absoluta florerent et quorum dictio omnibus esset numeris expleta, ii paucissimi fuerunt, et haud scio, an ne unus quidem, praeter *Muretum*. Jam magnopere placet elegantia sermonis, quae et plus curae desiderat, quoniam ad verba bona lectaque, quibus sibi necessario utendum censeat, aptam quoque eorum compositionem certosque ambitus et quasi aliquas conversiones adjungit, et leni illo potissimum dicendi genere atque aequabiliter profluente continetur. Quae quidem quum sensu maxime subtili quodam ingenioque subacto comparetur, tamen, ut omnes Veneres suas consumat, citius satiabit fastidio nimiae similitudinis, quam locum suum sola tuebitur: eblanditur enim assensum, non extorquet; influit nonnunquam in animos, non penitus se insinuat, non penetrat; perfundit eos, qui audiunt et fortasse titillat, non ducit omnes, non totos commovet, non semper delectat. Imo ad hanc remissam suavitatem vis illa orationis accedat et singularis gravitas, oportet, quae suis viribus ita agere solet, ut mentes aliorum nervis regat, flectat autem lacertis, ceterum ea naturae tantum favore hominibus obtingit, ut exoptare eam omnibus facilius sit, quam cuiquam in os inserere. Quoniam vero non foris petita est haec indoles, sed ex intimis Romanorum recessibus deprompta, et quoniam fortissimus populus robore animi, constantia, atque illa, illa inquam gravitate tantopere unus excelluit, ut Atheniensium levitas non magis propria esse potuerit: idcirco vis dicendi intra orationis fines ne coerceatur, sed latius se velim extendat et ad caetera loquutionis genera, sedatiora caeteroqui, dotes suas, modo temperatas, admisceat, ut, ubi dormientes motu ipso satis excitavit, majorem contentionem et impetum vehementiorem ultro relinquat, vixque initio facto rursum se subito constringat. Quocirca *Gesnerus*, *Ernestus*, *Reizius*, *Wolffius*, *Hermannus*, *Eichstadius*, totque alii eximii viri, quorum oratio non modo comitate et quasi dulcedine condita est, verum etiam in singulari quadam severitate versatur, quum statim insignem laudem meruerunt, tum omni tempore celebrabuntur. Inprimis vero ad ultimam eloquentiae speciem, quam formamus, et ad omnem hujus generis excellentiam facilitas sermonis referenda est, quae id habet, ut idem aut melius quiddam te praestaturum confidas, quum legeris, expertus autem longe longeque deteriora a te allata esse eum admiratione et stomacho animadvertas. Quae virtus tametsi ita existit, ut ne imperitos quidem fallere possit, tamen ab his mire negligi solet, qui id casu atque fortuito ita accidisse interpretantur: intelligentes viri adeptam faciunt maximi, eamque censent non ab naturae magis habitu proficisci, quam magno acquiri judicio. Scitis, hanc artem ab *Ruhnkenio* uno omnium maxime ornatam esse, viro latine etiam, non solum graece doctissimo, atque sic expolitam, ut nihil fere addi, demi mutarive placeat. Quomodo igitur tantum efficere unus potuit? Facilis haec doctrina est certumque, quid respondeam. Quae multi cupide aucupantur, ea contempsit: alii omnes undique flosculos decerpunt, ille

B

quantum res pateretur, tantum adscivit; alii oratoria lumina sequuntur, ille nimium inflare noluit; alii rhetorum figuras studiose appetunt, ille vidit, argutas hujusmodi ineptias, effictionem, sermocinationem, conformationem, significationem, demonstrationem raro probari, saepe etiam rideri; alii docte scilicet scribendi gloriolam venantur, in his summi quidam viri, ut *Hemsterhusius*, ut *Valckenarius*, ut *Lobeckius*, ille simplicitatem in majore quadam laude posuit, ille nihil, nisi plene intellectum suscepit, ille nisi quod certa antiquitatis fide traditum esset, ferre nihil potuit. Est enim profecto aliqua etiam omittendi ars, Commilitones: plurima, quibus uti possis, hoc loco tamen repudiari debent, non licet omnia, quae noris, effundere, ne forte sentina exhauriatur, interdum sapientiae est, cum alienis utilia praeterire. Nec vero in hoc Vos patiar errare (facit enim Vester iste oculorum conjectus et animus ille expectatione crectus, ut mihi de harum literarum studiis paullo liberius putem disserendum esse), hoc igitur mihi valde persuasi, non aerumnosos labores subeundos, non maximas contrahendas esse molestias, ut eos videmus, qui nulli chartae parcentes omnia undique arcessita in suis thesauris reponunt, quae tum, ut Aeolus in utre ventos, facile constricta teneant. Ceterum iidem ita scribunt, ut eorum barbarismis refutetur sedulitas. Equidem, ut me vobis indicem, non modo in docendi ratione oblectationem aliorum voluptatemque quaero, non tristitiam, aut dolorem, sed multo etiam magis mihimet ipse ita consulo, ita scriptoribus tractandis proficere soleo, ut ab nimia severitate remotus animum humaniter exhilarem. Hoc si mihi minus e sententia succederet, quodvis aliud negotium gererem potius, quam in literis frigerem perpetuo et nausearem. Nunc autem id agenti tanta suppetit, mitto jocorum dictorumque, sed jucundissimarum rerum copia, ut mihi omnes Laetitiae ex hac potissimum sede profectae esse videantur. Idem scilicet omnibus faciendum esse censeo, ut suam quisque naturam, cui vim adhibere nefas est, ducem sequatur, ut nunquam de via declinet, sed quocunque bona cogitatione atque, ut dico, natura feratur, eo velis remisque contendat. Facite ergo, iis operam detis, quos ametis, non quos oderitis: hi enim quamvis pulchre dixerint, respuunt aures, adspernantur; quamvis virtutem verbo commendent, ab homine tamen abhorret animus: at illos corpore toto cognoscimus et ediscimus vel inviti, illos aperto pectore lubenter complectimur. Sed tamen si Apulejum vel Petronium dicendo adumbraveritis, ecquid erit praemii, aut quae ista laus est, Tertullianum alterum judicari: quin vos imitami bonos scriptores, maxime quidem eosdem, sin minus, quam simillimos: ne varium quiddam ac multiforme inducatur, neu sermo e dispari genere collectus nimium discrepet postremoque secum ipse pugnet. Habebitis autem quum alios, ad quorum auctoritatem vos conferatis, tum duo illa eloquentiae praeclarissima exempla, Ciceronem et Livium, et quidem plus aliquanto, quam disertos viros, bonos etiam inprimis ac plane Romanos: nihil enim amabilius est virtute. Illud quoque in medium afferam, in quo magnopere vos ad-

monitos volo, ne partibus quibusdam levioribus plus justo tribuatis: primum quod, quum res maximae a minimis nullo negotio discernantur, a parvularum cura ad vicinas nugas multi saepe delapsi sunt, deinde quod spinosi isti exilesque loci aliquando sane acuunt mentem, saepius fatigant aut obtundunt, tum quod praestat in exiguis et tenuibus semel errare, quam in summis atque gravissimis semper delirare, denique quod cui praecipua capita summaque doctrinae probe perspecta fuerit, ei additamenta vix sentienti offerentur, oblata puncto temporis dijudicari poterunt. Quod quamvis ita manifestum sit, ut oculis cerni queat et teneri plane manu, tamen opinione saepius violatur, maxime a philologis nonnullis, qui haec somnia elucubrantur, in his deliciis, quod miserandum sit, laborant, hac una cura dies noctesque conficiuntur. Et miramur, aliquot Ciceronis editores praeclare balbutire ac stridere, theologorum partim, qui apici et literae salutem anteponunt, pereleganter scribere, et (ne jam JCtos, quorum novi studium, collaudem) partim medicorum, qui dum capiti medeantur, reduviam minus curare consueverunt, dilucide, quid velint, exponere? Omnino, quemadmodum in tricis diutius morandum non est, sic lectio tarda et prope lenta est illa quidem ob alias causas ita necessaria, ut minui fortasse possit, abrogari nullo modo possit, sed tamen velox illa et incitata, qua multas res cum summa delectatione temporis momento percurrimus, qua hominem, non particulam, ingenium, non naevum aliquem contemplamur et imbibimus, hic quidem paginam utramque facit, ea boni scriptoris formam sola efflingit. Profecto qui ita in legendo versabitur, is non solum quod ante pedes est, videbit (nisi cujus forte mens peregrinabitur), verum etiam obscura illustrabit, recondita pervestigabit, ignota protrahet. Et quoniam nonnulli, quantumvis in libros assiduo incumbant, ne hiscere quidem audent, quo magis fiant surdastri, juvat interdum declamare, multum prodest, gravissimos quosque locos, qui animum pepulerint vehementiusque commoverint, alta voce recitare: si quidem magnum est sensu ipso valere, auresque teretes habere paucis contigit. Nam si sonos distinctos proferre debemus, non rudes fundere et inconditos, ne nihil prorsus dixisse videamur, apparet, pedestrem quoque orationem certo quodam numero concludi. Is quanquam alius est in caeteris scriptoribus, alius in oratore, et jam poëseos legibus, rhythmo insuper accedente, propior, duabus tamen partibus continetur, tum ut solutis verbis, certe relaxatis, metrum vitemus, quod in vitio est, per imprudentiam versum immiscere, tum ut vagantia adstringamus, libera quodammodo vinciamus, id quod ordinis immutatione et apta collocatione facile assequemur. Quumque sint, qui Latii monumentis unice occupati teneantur, non licet dubitare, quin graecae literae juveni latinitatis studioso adjumento sint, quae quidem illarum auxilio praecipue vigebit. *Beierum* quidem memini, quum saepe ita diceret, inque eo etiam fortunae iniquitatem accusaret, neminem, qui latinae linguae gnarus sit, ideo graecam callere (id quidem recte, sed addebat), omnes, qui graece

sciant, scire etiam latine, nullum eorum nescire. Quasi non plures, qui in graecis cum laude versantur, latini sermonis imperitiam vel ingenue fassi sint, vel frustra dissimulent. Non negamus tamen, Romanos a Graecis non solum similitudinis multum duxisse, quum et ultro citroque commeari soleret, et literae artesque e Graecia, Athenis maxime, Romam transfusae essent, verum etiam originem ipsam a Graecis traxisse, Pelasgis quidem, ut accepimus: ut jam mirum non sit, linguae latinae atque aeolicae dialecti tantam reperiri consensionem, quanta cogitari maxima potest: quod quum in promptu sit intelligere, hodie tamen ab iis, quorum est certa convellere, temere in dubitationem vocatur. Et haec quidem, sive consilia vobis visa sunt, sive rationes, modo ne praecepta dixeritis, in universum valent. Quum vero ad scribendi exercitationem ventum sit, qui locus aliis quibusdam legibus subjectus est et singularem postulat industriam, tum diuturna cogitatione miraque animi adtentione opus est, ne levitatem error, remissionem poenitentia cito sequatur. Ac primum quidem, etsi de loquendi artificio haec omnis nobis oratio est, tamen ad bene dicendi laudem nihil prius, nihil antiquius habere debemus, quam ut materia, argumentum, res denique quam optima inveniantur, eaeque tum demum verbis ornentur: quid enim minus convenit, quam verba vel lectissima cumulare, sententia aut inani, aut nulla? quos ego furiosos quosdam verborum opifices semper judicavi. Quid, quod antiqui scriptores in oratione perficienda tam eximie versati sunt, ut exiguum sane, imo vix ullam consequendi sui spem nobis reliquerint, praeclareque nobiscum agatur, si imitatione paullo propius ad divinam illorum eloquentiam accedere licuerit, quam tamen semper aliquo sejuncti intervallo admirabimur. Quanto aequius nostrum cum illis in sententiarum electione certamen est: adsit modo major mentis perspicacitas, ne deficient doctrinae uberiores copiae: bene est, res meliores afferuntur, vicinus. Nuper inventus est, qui *Hermannum* vatem *Flacco* longe praestantiorum appellaret. Indigna sane adulatoris impune mentientis, non viri libere judicantis, oratio. At non multum errabit, qui *Hermannum* verborum et metrorum splendore ut excellentem, ita multo tamen inferiorem illo, eundem rebus interdum superiorem sibi videri profitebitur. *Hermannus* enim liberatam Europam praeclaro carmine celebravit, *Horatius* leves istos suos nugatoriosque amores multis odibus longe persequutus est. Ut primum autem de eo constiterit, quidnam eloqui placeat, tum non vernaculae enuntiationes animo obversari debent, quae videlicet singulae in latinum convertantur, quoniam, ut quidque cogitaveris, ita illud profecto reddes, sed latina oratio, priusquam scribas, tam accurate menti informanda est, ut paene vivas cum Romanis, denique ut patrii sermonis paullisper obliviscare. At, dixerit quispiam, tu utrumne cunctos, qui aetatem tulerunt, scriptores putas sequendos esse, an paucorum tantummodo apud te valet aucto-

ritas? Equidem saepe de eo quaesitum est, quum alii campum tam immensum aperirent, ut nihil, quod figuras literarum latinas sonumque referret, non civitate donarent, alii adeo venirent in angustum, ut omne Latium duorum triumve hominum gyro definirent. Horum vero severitas ut putida nimiaque videtur, neque ejus, quam ementitur constantiae, sed pusilli cujusdam est animi, eoque pertinet, ut latini sermonis facultas, rei vel per se paullo difficilioris, jam omnibus adimatur: ita multo minus illorum ferri liberalitas potest, quae parum habere solet, si piorum lapsus patrum et vitia grammaticorum contexat, nisi ipsa etiam nova verba ac potius monstra finxerit inaudita. Quam porro non homines praeclari in oratione soluta sibi cavent a grandibus poetarum vocibus, qui altissimum gerunt spiritum, qui terra relicta caelum conantur attingere? Est vero ridiculum, in eodem itinere modo pedibus incedere, (utinam ne humi reperent complures) modo quadrigis vehi poetis. Quin etiam invenias ex tristi illa disciplina tetricorum, qui totas Ciceronis sententias, locos, inquam, longissimos, quamvis a proposito alienos describant, hoc esse dicant optimos imitari latine loquentem: bona verba, quaeso. Adeo isti non vident, verbis quidem bonis studendum esse, nonnunquam etiam formulis utendum, quae usitatae fuerunt, integris, modo apte: ceterum hic nova excogitari debere, non vetera decantari, neque hoc totum manus esse officium, sed ingenii. Quum tamen poster sermo ex vetere memoria expressus, atque e scriptorum fontibus haustus sit, reputemus, non omnia ab illis sumta ad imitationem transferri licere, imo plurima illa, quae ab aetate nostra, religione, ratione, adde etiam sensu longe abhorrent, suis relinquenda esse auctoribus: ne si forte per Herculem, cujus robur dudum evanuit, perque omnes Deos Deasque, qui nusquam sunt, juraverimus, a pueris, qui unum sciunt deum esse, irrideamur. Praeterea omni cogitatione providebimus, ne, quum latine loquendum sit, graeca verba inscientibus nobis obrepant: quanquam nonnulli id tam studiose affectarunt, ut summam dicendi laudem in utraque lingua temere confundenda reponerent, ipsius denique Ciceronis nomen ineptae vanitati praetenderent, qui in epistolis, quas ad Atticum dedit, locupletissimus hujus facti auctor sibi exstitisset. Qui videntur nescire, aliis tum a Tullio inservitum esse, condonatum id Attico, viro graecis literis paene nimis dedito, ceterum ab eodem (ut jam Ciceroni jocanti amicisque indulgenti Ciceronem aperte judicantem opponamus) et graviter reprehensos esse, qui graeca verba inculcarent, et factis saepissime ostensum, non magis placere graece loqui in oratione latina, quam in graeca latine. Denique majorem in modum caveri oportet, ne certis verbis impensius delectere, eaque, quasi aliqua dicendi ornamenta ac lumina, ubique infercias. Est illud quidem in omni vitae genere atque sermonis permolestum, sed in latina tamen lingua, praesertim si cum errore insigni conjunctum sit, vel maxime odiosum. Vir

quidam doctissimus, quasi solus esset Stoicus, gravis solus, caeteri praeter ipsum omnes essent Epicurei, sententias non suas identidem *leves* appellare solebat; neque tamen aliorum offensionem ac sibilum effugere potuit. Ecce enim, mox explosus est ab adversario, qui nihil aliud, quam locos istius *levitatis* emblemate pictos omnes colligeret, collectos cum summo illius stomacho, nostra autem voluptate ederet. Alius oculis *Verum enim* ita totus adsueverat, ut istud *Verum enim* non modo vigilans semper in ore haberet, sed (id quod certo exploratum esset) interdum etiam somniaret. Alius *contubernalem* perpetuo jactabat, se dicebat Ciceronis *contubernalem*, me Luciani, alios aliorum, omnes tamen *contubernales*: id quo animo reliqui tulerint, nescio, me quidem, quem laudaturus erat, laesit, eum vero, quem minime velle debebat, plane derisit. Alius paullo etiam urbanus: summos quosque viros nominabat *homines emunctae naris*, eam laudationem unam omnium maxime in sinu gestabat. Qui sermo quum emanasset, nemoque, quid tandem rei esset, satis explicare potuisset, multi autem id cupide requirerent: tum unus ex amicis meis, homo admodum facetus, laudatorem saepius convenire, sensim cum eo familiariter consuescere, primo nugarum mentionem nescio quarum injicere, postremoque haud deprecari, quin se quoque, si ei videretur, *hominem emunctae naris* aliquando appellaret. At ille vultu sane tristi depressoque supercilio: O bone, inquit, tamne audax es, ut cum *Scaligero, Bentlejo, Valckenario, Her-manno* de principatu contendas? quibus tu priusquam par fueris, ne si velim quidem, voti compotem amicus amicum facere unquam potero. Hoc maxime modo tum, quid esset *homo emunctae naris*,prehendimus.

Quam multa, quae amplissime dici possunt et copiosissime tractari, vix obiter perstrinxi! Quam multa etiam, quae nullo modo praetereunda sunt, penitus omisi! Veruntamen quum haec oratio ad clepsydram habita tandem aliquando finire debeat, perorabo. Est enim linguam latinam regendi ars, ut equitandi, varia quaedam et multiplex; haerere tantum equo mihi videntur, qui simpliciter barbarismos evitant; alii tam eleganter scribunt, ut aptissime sedeant, multum equitarint; alii tanta sunt fortitudine, non modo ut calcaria subdant habenasque remittant, sed etiam fossas saepe trajiciant et in altum lubenter tollantur: perfecti equitis est, cum equo propemodum coaluisse, quemadmodum de Hippocentauro accepimus, denique summam artem adeptum nihil artis prodere. Vos igitur, juvenes, enitimini, vel potius adscendite, quaeso, hunc Pegasus, ferocientem coercete, lentius festinantem stimulate, omnia cavete, sed maxime, ne excutiamini.

LECTIONES PROFESSORUM PUBLICORUM ORDINARIORUM.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS *privatim* 1) quaternis per hebd. dd., hor. VIII—IX. *encyclopaediam et methodologiam theologicam* tradet; 2) quinis per hebd. dd., h. IX—X. *historiae ecclesiasticae secundam partem* enarrabit. *Publice in Seminarii sodalitiis catechetice* praecipiet, et *sodalium homileticas et catecheticas exercitationes*, more consueto, moderabitur.

D. ANTONIUS THEODORUS HARTMANN 1) *privatim* quinis diebus hor. VIII—IX. *Theologiam moralem* docebit; 2) iisdem diebus hor. IX—X. *Genesin* interpretabitur; 3) *publice* dd. Lunae et Jovis hor. II—III. *epistolam ad Hebraeos* explicabit.

D. IO. PHIL. BAUERMEISTER, 1) *senis* per hebd. dd., hor. X—XI., *tria Evangelia priora* interpretabitur; 2) quinis per hebd. dd., hora XI—XII., *dogmaticam christianam* tradet; 3) binis per hebd. dd., hora in academiae valvis posthac indicanda, *praecipuarum ecclesiae christianae partium systemata dogmatica* inter se comparabit; 4) *disputationes* de rebus philosophicis et theologicis moderabitur.

D. CAROLUS FRIDERICUS AUGUSTUS FRITZSCHE 1) *privatim* *senis* dd. h. X. copiosa in epistolarum Paullinarum lectionem introductione historica et linguistica pertexta *epistolas N. T. majores*, h. e. *ad Romanos, Corinthios et Hebraeos* datas, interpretabitur; 2) *privatim* quinis dd. h. VII. *Theologiam symbolicam* docebit; 3) *privatissime* tempore constituendo aut *Homiletices* praecepta ita tradet, ut Commilitones in orationibus sacris et componendis et habendis exercent, aut, si id plurimorum necessitates Commilitonum magis expetiverint, disciplinam dogmaticam *popularibus* usibus accommodatam exponet.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. FERD. KAEMMERER docebit 1) *Jus hereditarium Romanum* hor. X. et 2) *Jus Germanicum privatum*, Observationibus juris *Megapolitani* junctis, excluso jure cambiali et maritimo, hor. XI.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER docebit publice 1) *Jus Canonicum*, duce *Wiese*, hor. III.; 2) *privatim* principia *processus civilis judiciarii*, duce *Linde*, hor. XI. Praeterea *artem referendi* ex Actis judicialibus tradet.

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER 1) publice hor. III. enarrabit *historiam utriusque Megapoleos*, ordinem chronologicum a beato Friderico Augusto de *Rudloff* commendatum secuturus, *privatim* 2) hor. XI. *Jus publicum foederis Germanici* docebit, duce *Kluebero*, et 3) hor. IV. *Jus feudorum* proponet, duce *Paetio*. Praeterea scholas juris examinatorias cupientibus offert.

D. FRIDERICUS RASPE tradet 1) principia *processus criminalis communis et Megapolitani*, hor. X. et 2) *jus publicum universale*, duce *Schmid*, hor. XI. Scholas relatorias, easque privatissimas praeterea cupientibus offert.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS tradet 1) *Institutiones et historiam juris civilis Romani* hor. X. et XI.; 2) *junctis scholis exegeticis fontium juris Romani* hor. XI. dieb. Mercur. et Saturn.

IN FACULTATE MEDICA.

D. SAMUEL GOTTLIEB VOGEL Serenissimi Magni Ducis summo jussu ad dirigendum Balnei marini Doberanensis usum abiturus praelectionibus semestri aestivo habendis non vacabit.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI docebit: 1) hor. XI—XII. *Artem obstetriciam*; 2) hor. III—IV. *Chirurgiam*.

D. HENRICUS SPITTA 1) *Physiologiam* tradet et 2) *Medicinam forensem*, quaternis hebdomadis diebus, 3) *Exercitationes clinicas* moderari perget quotidie.

D. CAROLUS STREMPER 1) quaternis p. h. diebus hor. VII. *Materiam medicam*, 2) hor. III. *Pathologiam et Therapiam generalem* docebit. 3) *Exercitationes practicas medico-chirurgicas* in Clinico quotidie hor. XI. more consueto moderari perget.

D. C. FR. QUITTENBAUM 1) hora VI—VII. in Demonstrationibus anatomicis, *Osteologiam*, *Syndesmologiam* et *Myologiam* sexies per hebdomadem docebit; 2) horis III—V. *Chirurgiae manualis* primam partem quater per hebdomadem tradet. Privatissime Repetitorium anatomicum et artis obstetriciae, etiam Cursum operationum chirurgicarum cupientibus offert.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

P. J. HECKER, Academiae Senior etc., hebetata oculorum acie ostendit se impeditum esse, quominus sequenti aestate scholas aperiret.

GERARDUS PHIL. HENR. NORRMANN exponet
1) privatim *historiam Germaniae pragmaticam*, duce a Lindeloff,
2) privatissime vero *oeconomiam politicam*.

J. S. BECK 1) *Mathesin puram* h. VII—VIII.; 2) *Philosophiam criticam* h. IV—V. docebit.

D. HENR. GUSTAV. FLOERKE auditores instituet ad *cognoscendas plantas*, quater p. h. h. VII.

G. MAEHL 1) *Toxicologiam* et 2) *Chemiam analyticam* proponet.

ERN. AUG. PHIL. MAHN publice *Elementa linguae Chaldaicae et Syriacae* docebit; privatim 1) *Psalmos* interpretabitur h. IX. vel III., 2) *Lectiones Ebraicas grammatico-analyticas* dabit h. II.; privatissime *Antiquitates biblicas* enarrabit h. c.

D. JO. RUDOLPH. SCHROETER propter valetudinem, qua premitur incommoda, lectiones semestri aestivo non habebit.

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE Privatim
1) Quaternis diebus h. XI. *Pindari Carmina* explicabit. 2) Binis diebus h. XI. *Curculionem Plauti* interpretabitur. Denique *Seminarii Philologici* exercitationes moderari perget: in quo *Ciceronis de Officiis* liber tertius atque *Equites Aristophanis* tractabuntur.

EDUARDUS DAN. HENR. BECKER docebit: 1) *Culturam plantarum agrestium et rem pecuariam*, quinquies p. h. hora IX—X.; 2) *Culturam silvarum*, quater p. h. hora XI—XII, 3) Publice, *Exercitationes artem agros metiendi formasque delineandi* spectantes, horis pomeridianis diei merc. moderabitur et praesertim auditoribus offert, qui scholas suas de illis disciplinis habitas frequentarunt.

LECTIONES
PROFESSORUM PUBLICORUM
EXTRAORDINARIORUM.

D. CAROLUS TÜRK tradet 1) *Jus Germanicum privatum*, in praemittenda fontium ejus historia secuturus librum suum „Historisch-dogmatische Vorlesungen über das deutsche Privat-Recht. Rostock, 1832.“ hor. VII. et VIII. 2) *Jus criminale* docebit duce *Feuerbach*, hor. II. et 5) *encyclopaediam juris*, duce *Falck*, hor. IX. Praeterea cupientibus offert lectiones de historia populi Germanici, vel disciplinarum juris repetitiones.

D. FRIDERICUS FRANCKE, has scholas gratuitas offert: 1) *Religionis philosophiam* et *aestheticam* conjunctim tractabit, sexies per hebdomadem; 2) *Logicam* docebit, quinquies p. h.; 3) ad *Anthropologiam psychicam* (Psychologiam) instituet, quater p. h.

D. GEORGIUS NICOLAUS BUSCH privatim quaternis diebus h. IV. *Euripidis Phoenissas* interpretabitur. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. H. KARSTEN hasce offert lectiones: 1) publice: *trigonometriam*, binis per hebdomadem horis; privatim 2) *geometriam analyticam* quater, 3) *physicam experimentalem* quater et 4) *mineralogiam* sexies per hebdomadem docebit; privatissimas denique proponit scholas in quavis matheseos et physices parte, neque deerit iis, qui in rebus nauticis edoceri velint.

D. HELMUTH DE BLUECHER publice tradet: 1) *Chemiae experimentalis* partem primam sc. Chemiam inorganicam, ternis p. h. dd.; 2) de *Electricitate* disseret semel p. h.

LECTIONES DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIDICAE.

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE

1) *processum judicarium civilem tum communem tum Megapolitanum* horis constituendis duce *Martino* docebit; 2) *hora commoda scholam suam civilem eamque practicam* more consueto moderabitur. *Privatissime repetitoria et examinatoria* commilitonibus offert.

D. CAROLUS GUILIELMUS CONRADUS DAEHNE

privatim docebit *Pandectas*, praeter jus hereditarium, duce *Thibaut* (ed. noviss.) hora VII et VIII.

MEDICAE.

D. med. et phil. GEORGIUS FRIDERICUS MOST docebit *gratis*: 1) *medicinam popularem*; *privatim*: 2) *materiam medicam*. Caeterum offert exercitationes et scholas repetitorias medico-practicas.

D. C. KRAUEL 1) *gratis* doctrinam *de ossibus fractis* et *luxatis* tractabit; 2) *privatim*, *artem obstetriciam* cum exercitationibus in phantomate conjunctam, docebit; 3) *privatissime* iis, qui examinando diversas artis medicae partes repetere cupiant, *lubentissime* aderit.

D. JO. FRID. GUIL. LESENBERG 1) *encyclopaediam* et *methodologiam* artis medicae, 2) *artem obstetriciam* tradet, nec non 3) *repetitoria* et *examinatoria* quarumlibet artis medicae partium cupientibus offert.

D. CAROLUS HANMANN 1) *gratis* introductionem in *pharmacologiam generalem*, 2) *privatim* *Formulare* duce C. Sundelin (*Taschenb. d. ärztl. Receptirkunst*, Berl. 1828) d. Lun. et Jov. h. IV-V. tradet. *Repetitiones materiae medicae* et *exercitationes pharmaceuticae* hisce scholis adjungendae horis separatis fient. 3) *Privatissime chirurgiae* partem primam secundum Chelii librum (*Hdb. d. Chirurgie*, Heidelb. u. Leipz. 1828) cum *exercitationibus akiurgicis* quotidie h. VII—VIII $\frac{1}{2}$, atque *ophthalmiatriam* dieb. Mart., Merc., Ven., Sat. h. IV—V. docebit; neque iis deerit, qui *operationibus ophthalmiatricis* institui voluerint.

PHILOSOPHICAE.

A. C. SIEMSEN cupientes privatissime docebit: 1) *Zoologiam universalem*, Illustr. *Blumenbachio* duce; 2) *Patriae Physiographiam*, ad commentationes a se jam in lucem editas.

D. CAROLUS WEINHOLTZ gratis 1) *Artem aestheticam*, diebus Lunae et Jovis h. III., critice tractabit; 2) *Goethii tragoediam Fausti* nomine inscriptam, diebus Mart. et Vener. h. III., explicabit. 5) *Privatim vero Logicam*, ex compendio suo (Rostock 1832) quater per hebd. h. XI., docebit.

D. C. F. A. THEOD. KASTNER 1) *Physicam generalem*, 2) *Stoechiometriam*, 5) *Chemiam theoreticam* tradet; privatissime docebit doctrinam *sectionum conicarum*.

D. P. STROEMER tradet 1) *Calculus differentialem et integralem*, dd. IV.: 2) *Mechanicam*, eodem modo. Nec deerit praeterea quaerentibus exponere vel *Geodesiam practicam*, vel *Projectionum theoriā* ad tabulas geographicas et ad *Perspectivae delineationes aptam*, vel *Opticam*, vel *Navigationis artem*, quaeve aliae libitae forent mathematicae disciplinae.

D. EDUARDUS SCHMIDT docebit: 1) *privatim Psychologiam*, quinquies p. h.; 2) gratis: *Introductionem in philosophiam religionis*, ter p. h.

Bibliotheca et Museum quovis Mercurii et Saturni die aperiuntur. *Gallicam, Anglicam*, aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit. Sunt etiam magistri publice constituti, qui *artem equitandi, pingendi et musicam* doceant. *Rei herbariae* studiosis, quum apud praefectum nomina professi fuerint, quotidie aperiuntur horti *Academiae herbarii*.

Domicilia commoda quaerentibus monstrabit J. H. Schulze, *Academiae nuncius juratus*.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
H. Spitta, M. D.

Praesidet ordini Theologorum *C. F. A. Fritzsche, AA. M.*
et Th. D. — Jurisconsultorum *A. L. Diemer, AA. M.*
et J. U. D. — Medicorum *S. G. Vogel, M. D.* —
Philosophorum *H. G. Floerke, Ph. D.*

**RECTOR ATQUE SENATUS
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
COMMILITONIBUS HUMANISSIMIS**

SALUTEM.

Recte olim Homerus, *ἔπεια πτερόεντα προσηύδα*: at nec hi male, qui literam scriptam manere ajunt: quanto diutius vero eandem typis expressam putatis mansuram esse? Hic profecto *chartam loqui anum* diceret Catullus. Denique Vos idem bis accipere malumus, quam fortasse ne semel quidem. Itaque quod Vobis nuper ab Amplissimo Viro nostris verbis nuntiatum est, id jam, veriti, ne paucorum quorundam aures praetervolarit, hoc in loco, ubi commodissime legi ab omnibus poterit, describi jussimus.

Igitur quum anno praeterlapso variae ac diversae quaestiones a nobis propositae essent, duae earum, qui se solvere curaret, quenquam inventum negant: ad caeteras scitote quum acute, tum etiam docte responsum esse, primum quidem ad theologicam hanc:

Bonifacius et Ansgarius inter se comparentur, eorumque in religionis Christianae propagationem merita diligenter exponantur.

Dissertationem scripsit G. F. Wolffius, Rostochiensis, quam Viris Summe Venerabilibus satis probavit. Nam praemium tulit secundum diligentissimus juvenis, sive ut graece dicam, *δευτερος ἦν*.

Tum ad Illustrium JCtorum, hanc:

Exponantur principia juris Romani de crimine vis.

Dissertationem scripsit Petermannus, Varnensis, nunc juris utriusque Doctor. Is tam egregie disseruit, ut et omne punctum ferret, et ei primus locus dari posset.

Denique ad philologicam hanc:

De Eupolidis Ἀήμοις et Πόλεσιν ita disseratur, ut et ratio, quae inter utramque fabulam intercesserit, aperiatur, et quae singularum comoediarum dispositio fuerit, ostendatur, et fragmenta earum ad unum omnia quum emendentur, tum illustrentur.

Dissertationem scripsit G. C. Raspius, Sulcensis. Is quoque tam eximie in scribendo versatus est, ut ei primus locus communi omnium arbitrorum judicio facile assignaretur.

In hunc autem annum quaestiones Vobis indictae sunt potissimum hae:

- I. Summe Venerabilis Theologorum Ordo Commilitoni praemium ponit ei, qui *tum religionis notionem biblicam e V. et N. T. accurate exposuerit, tum nostrorum finitiones Theologorum et Philosophorum de religione ad illam exegerit.*
- II. Illustris Jctorum Ordo quaeri vult, *num hodieque distinctionis contractuum in bonae fidei et stricti juris, usus quidam in foris Germaniae detur, et, si hoc affirmatum fuerit, quibus in speciebus ille usus occurrere videatur.*
- III. Gratosus Medicorum Ordo quaeri cupit *de ovi mammalium et hominis genesi.*
- IV. Amplissimus Philosophorum Ordo de eo diligenter quaeri cupit; *possitne quaelibet aequatio cubica regulae cardanicae ope solvi. Praemium autem ad eum maxime deferet, qui fieri id omnino posse accurate demonstraverit, et vero etiam exemplis plene dilucideque ostenderit, quamvis aequationem cubicam formae universae, quae patet latissime*
$$x^3 + px^2 + qx + r = 0$$
ejus, quam diximus, regulae legibus explicari et solvi posse, postremo quum propter aliquam necessitatem tabulae trigonometricae ad hanc rem adhibitae fuerint, tum quoque x non nisi tres habere valores.
- V. Idem alteram proponit quaestionem hanc:
De Alcibiadis vita a Cornelio Nepote scripta ita disputetur, ut quae plurimae a Viris Doctis motae sunt et historici generis et grammatici et critici dubitationes, eae vel omnes tollantur, vel saltem valde minuantur.

Agite igitur, Optimi Commilitones, ostendite nobis lumen ingenii, doctrinae industriaeque Vestrae, atque pergite assiduo literis operam dare, sicuti facitis.

Dabamus Rostochii, Idibus Martiis a. MDCCCXXXII.
